

rum intuitu cognoscatur DEum esse. Hoc de præconio Apostolorum quidam exponunt, verum universaliter loquitur Psalter. Apostolus verò sub universali particularem rectè subsumere potuit.

## ANTITHESIS.

1. *Gentiles* impingunt, qui usum verum creationis ignorarunt.
2. Qui DEum autorem mali constituunt, cum tamen ex creatione ejus bonitas cognoscatur.
3. *Calviniani* qui *supralapsari* vocantur, statuentes, quod DEus ad interitum maximam hominum partem condiderit.

## ARTICULUS IV.

DE

## ANGELIS.

## APHORISMUS I.

Angeli sunt Spiritus finiti, completi, intelligendi & volendi facultatibus præditi, creati primitus à Deo optimi & beati, ut laudarent eum & mandata ejus promptè exequerentur.

Angelo-  
rum de-  
scriptio.

## EXPLICATIO.

## I. Angeli.

1. Nomen hoc usurpatur vel ad significandam certam *spiritualem substantiam*, vel ad significandum *officium certum*. Prius est hujus loci.
2. Nomen hoc spectatur vel *precisè* habito respectu ad *originariam significationem*, vel latè quoad *frequentiore* & *primariam usurpationem*. Priori modo notat nuncium ab ἀγγέλλειν posteriori modo notat naturam aliquam spiritualem, & immaterialem. Prior h. l. adæquata significatio non est, usurpatur enim etiam de sacerdotibus, Malach. II, 7. de Johanne, Malach. III, 1. de præsidibus Ecclesiarum, Apoc. I, 20. de Christo etiam, Exod. XXX. & Mal. III.
3. Spectatur hoc vocabulum vel *etymologicè*, vel *syntacticè*. Priori modo notat nuncium; posteriori modo est Character ordinis Spirituum.

Bb 3

4. Vo-